



# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1857**

VII. Die Grafen von Danneberg überlassen dem Hospital des h. Geistes zu Salzwedel drei Hufen zu Rohrberg, welche die Markgräfin und mehrere Edelleute für das Hospital von einem ihrer Lehnsleute ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54909)

VII. Die Grafen von Danneberg überlassen dem Hospital des h. Geistes zu Salzwedel drei Hufen zu Nohrberg, welche die Markgräfin und mehrere Edelleute für das Hospital von einem ihrer Lehnsleute erkauft haben, am 24. Juni 1248.

In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Bernardus et Adolfus, dei gratia Comites de Dannenberghe, omnibus hoc scriptum visuris salutem in Christo. Nouerint hanc paginam visuri, quod nos de communi consilio heredum nostrorum et ad petitionem domini Gerberti de Bardeleue, castellani nostri, tres mansos in villa Rorberge, quos idem Gerbertus a nobis iure tenuit pheidali, cum omni integritate et iustitia, sicut ipse antea possidebat, et quos Domina Marchionissa et Dominus Aluericus de Kerkoue et Dominus Ernestus de Dannenberghe et Dominus Arnoldus de Bodenstede hospitali S. Spiritus apud Soltwedele comparauerunt a Gerberto jam sepius prenotato, memorato hospitali diuine retributionis intuitu contulimus libere possidendos. Quod hoc ratum maneat et illesum hanc scribi fecimus litteram sigillorum nostrorum munimine roborari. Datum apud Dannenberghe, anno gracie M. CC. XLVIII. indictione septima, in die Iohannis Baptiste.

Aus Gerken's Cod. I, 38.

VIII. Der Cardinal und Legat Hugo ertheilt denen, die dem Hospitale zum heil. Geist in Salzwedel Unterstützungen gewähren, einen Ablass von 40 Tagen, am 5. Januar 1252.

Vniuersis Christi fidelibus per Alamanniam constitutis, ad quos presentes litere peruenerint, frater Hugo, misericordie diuinae gratia sancte Sabine presbyter Cardinalis, apostolice sedis legatus, salutem in Domino. Quoniam ut ait apostolus omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout gessimus in corpore, siue bonum fuerit siue malum, oportet nos diem messionis extreme misericordie operibus preuenire ac eternorum intuitu seminare in terris, quod reddente domino cum multiplicato fructu recolligere valeamus in celis, firmam spem fiduciamque tenentes, quoniam qui parce seminat parce et metet et qui seminat in benedictionibus de benedictionibus et metet vitam eternam. Cum igitur sicut dilecti filii Nobiles viri Iohannes et Otto, Marchiones Brandeborgenses, nobis intimare curarunt, ad sustentationem pauperum et infirmorum ad hospitale seti. Spiritus in Soltwedel verdenensis diocesis confluentium ipsius non suppetunt facultates, vniuersitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum iniungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis pias ad id elemosinas et grata eis caritatis subsidia erogetis, vt per subuentionem vestram dicti pauperes et infirmi valeant sustentari et vos per hec et alia bona, que Domino inspirante feceritis, ad eterne possitis felicitatis gaudia peruenire. Nos autem de omnipotentis Dei misericordia et beatorum petri et pauli apostolorum eius auctoritate consili omnibus vere penitentibus et confessis qui eis ad hoc manum porrexerint adiutricem Quadragesima dies de iniuncta sibi penitencia misericorditer relaxamus, presentes vero mitti per questua-